Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Jonstoni Historia Naturalis

Ioann. Ionstoni|| Historiae Natvralis|| De|| Exangvibvs|| Aqvaticis|| Libri IV||

Jonston, Jan

Heilbrunna, MDCCLXVII.

VD18 90529022

Illustration: Tab. III. Camaris See Krebs.

urn:nbn:de:gbv:45:1-11100

Tab. III.


Gammarus. See Krebs.
1
2
Astacus Minor. Kleiner Krebs.
Astacus Maior. groſſer Krebs.
3
4
Astacus ſupinus.

Landesbibliothek Oldenburg

Geſnerus cirros potius eſſe judicat, ad motum progreſſionis natationiſque a natura datos, vel ne aqua introrſum penetret. De *Lapidibus* memorabilia prodidit Helmontius, quae ſequuntur. Per plurimas inquit atque uniformes cancrorum diſſectiones iſta competi. Inprimis ſtomachum cancri eſſe in capite prope verticem. Mares enim quotannis aegrotare incipiunt, a menſis Junii medio: foemellae dein in Julio ante teſtarum exuvium. Sunt enim per dies novem et amplius velut ſemiexanimes ac immoti. Qua tempeſtate ſtomacho illorum exterius obducitur membranula nova, inter quam et ſtomachum veterem, eſt liquor quidam lacteus, qui ſenſim exterius in globum ſtomachi convexum, qua parte attingit, obducitque ſtomachum veterem, contrahitur utroque latere in concavum, ſtatimque lapideſcit. Interim nec tunc nec multo poſt cancer eſitat quicquam. Ideoque (paene incredibile) vetus ſive interior ſtomachus, ſenſim in mucilaginem alimentariam abſumitur; exteriorque ac novus alter ſtomachus, in vicem abſumpti, ſuccedit. Siquidem iſti lacti, ad ſtomachi veteris convexum ſubnato, obtenditur ſtatim pellicula, per modum lacti tepenti ſolitum: creſcitque lac iſtud, inter utramque praefatam membranam, utriuſque ſcilicet ſtomachi. Quae cuncta ducentis forte cancris diſſectis, dietim obſervavi, jucunda admiratione. Tandem reſidua pars lactis, cancro cedit in alimentum. Nihil autem cancer edit, aut in ejus ſtomacho reperitur, quantiſper iſti lapides ſunt in ſtomacho ejus, vivitque circiter XXVII. dies tam ex veteri ſuo ſtomacho, ſenſim abſumto, quam ex uſu reſolutorum poſtea lapidum. Hucuſque Helmontius. Albertus plenilunio creſcere putat.

Helmont. de Lithiaſi c. 7.

Locus.

Reperiuntur paſſim in fluminibus, lacubus, et rivis. In Pannonia tam frequentes, ut Julius Alexandrinus ſaepe ſupra triginta currus Aſtacis onuſtos, in foro Gammario Viennae numerarit. In Hiſpania non haberi affirmant quidam.

Victus.

Victitant cadaveribus, et carnibus, et quidem his adeo delectantur, ut in Danubio de navibus ſuſpenſis, magna multitudo adhaereat. Ranas quoque appetere, Albertus teſtatur, et nos experientia comprobatum habemus. Per tredecim dies vivum abſque cibo conſervavit Geſnerus. *Sexus* notis diſtinguntur. Mares in ea parte, qua corpus ad caudam continuatur, ſubtus quatuor longas prominentes virgulas habent, quibus foeminae deſtituuntur. Cauda etiam illorum rotundior, planior et ſpiſſior; tenuis, vacua, et lata hujus, majorque tabellarum in eadem diſtantia.

Generatio.

De *Generatione* hoc ſciendum, Marem in coitu primo ſupra dorſum foeminae aſcendere, mox ſe iſtam ſupinam vertere: per ſolam meatuum applicationem coire: membro enim quod alterius corpus ingreditur deſtituuntur: Ova per anum, per quem et excrementa reddunt, parere: et ſaepe minimos Aſtacos caudae matris adhuc adhaerentes conſpici. Albertus ova foeminae primo in corpore valde compreſſa eſſe, dein paulatim exire et virgulis curtis ſub cauda donec complectantur adhaereſcere, ſcripſit. Hyeme menſibus quinque *latent*, ſi communem opinionem ſequaris. Aliqui enim tum etiam apparere ac ad litora prodire; aeſtate ad optatas aquas gregatim concedere dicunt. Novilunio emaciantur, plenilunio pingueſcunt.

Antipathia.

De mira quaedam inter Cancros et porcos *antipathia*, ſic Helmontius. In Marchia Brandeburgica locupletiſſima eſt cancrorum piſcatio. Vectores autem coguntur noctu excubias agere, ne forte porcus aliquis vel leviter ſubter currum tranſcurrat. Nam id ſi contigerit, mane, quotquot cancri in curru fuerint, inveniuntur mortui. Tam exitialis eſt porcus cancro.

Differentiae.

Dividuntur in *Minores* et *Majores*. Illi, quod ſub ſaxis degant, ſaxatiles dicuntur, parte ſupina albicant, prona nigricant, elixi non undiquaque rubeſcunt. *Majores*, rotundiori ſunt magiſque crenato in Pado corpore, quam in Sequana, cujus dexter pes ſiniſtro tenuior eſt.

 Locum